



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.
VII. Pont. Max.

Esparza Arteida, Martin de

Lugduni, 1666

XLVI. Vtrum omnia opera infidelium sint peccata?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)

atque determinatur intellectus, ne illi assentiat, vel ut eidem dissentiat.

Art. 4. Igitur infidelitas, quatenus spectat ad considerationem theologiam, consistit principaliter in actu voluntatis, & consequenter voluntas potius, quam intellectus dici debet absolute apud Theologos causa infidelitatis, tamen eadem infidelitas, quoad actum ultimum completum ipsius, pertineat ad intellectum, atque ab eodem procedat efficienter. Id quod est multo manifestius, quando quaritur de causa peccati infidelitatis, seu de causa infidelitatis, sub conceptu explicito peccaminosa. Quia secundum istam rationem formalem proculdubio pertinet primo, & principaliter ad voluntatem, ut liquet ex notatione initio praemissa.

Art. 5. Accedit causam obiectivam, ac finalem, quae allicit, ac determinat ad infidelitatem, esse, loquendo per se, rationem aliquam bonitatis delectabilis, vel utilis, potius, quam apparentiam veritatis, ut liquet ex dictis in quaest. praeced. art. 6. & 7. Eiusmodi autem ratio bonitatis spectat ad voluntatem, sicut apparentia veritatis, quae est converso permouetur praecipue, qui convertitur ad fidem catholicam, spectat potissimum ad intellectum. Ergo voluntas potius, quam intellectus dici debet absolute causa peccati infidelitatis, ipsiusque infidelitatis.

Ad 1. Infidelitas in suo conceptu aequaro continet actum, & voluntatis, & intellectus, ut dictum est. Vnde re ipsa partim est à voluntate, & in voluntate, partim ab intellectu, & intellectu. Quapropter, pro usu loquutionis absolutae, & pro absoluta attributione respectu intellectus, aut voluntatis, videndum est, utra pars distinctius, & magis significetur in unaquaque propositione. Cum igitur per conceptum peccati infidelitatis significetur distinctius actus voluntatis, atque causa obiectiva, ac finalis alliciens, ac determinans ad peccatum infidelitatis sit, saltem per se, & ut plurimum, aliqua ratio delectabilis, vel utilis distincta ab apparentia veritatis, ut nuper notatum est, observato insuper discrimine fidei quoad hoc. Cum, inquam, haec ita se habeant, patet, peccatum infidelitatis, atque infidelitatem, prout consideratur à Theologo, spectare praecipue ad voluntatem, neque quoad hoc omnino tenere paritatem ex fide.

Ad 2. Conceditur, infidelitatem, quod ultimum suum complementum, consistere in dissensu, ac proinde pertinere eatenus ad intellectum, ut ad causam efficientem, & subiectum, sed secundum suum conceptum aequatum refertur principaliter ad voluntatem, ut dictum est. Adde nomine, causae id maxime significari, à quo incipit esse opus; nomine vero subiecti id, in quo ultimo sistit. Infidelitas autem incipit à voluntate, & terminatur in intellectu. Vnde esto dicatur cum D. Thoma q. 10. art. 2. infidelitatem esse in intellectu, tanquam in subiecto; dici nihilominus debet absolute, eandem infidelitatem esse à voluntate tanquam à causa. Nec obstat vitalitas, postulans identitatem subiecti cum causa efficiente. Quia cum infidelitas includat in se actum, & voluntatis, & intellectus, potest ad utramlibet potentiam diversimode referri per diversos comparationis modos, prout indicatum, ac determinatum est supra, & agnoscit ipse D. Thomas ibidem ad 1.

Ad 3. In casu ignorantiae invincibilis, tam intellectus, quam voluntas, adhaerens apparentiae veritatis hic, & nunc maiori, retinet bonam dispositionem, ut amplectatur ipsam veritatem, quoties contigerit reuera eius iudicia praeminere. Quapropter, pro eiusmodi eventu, ratio formalis motiva respectu utriusque potentiae est, qualis utriusque congruit, & est perfectiva utriusque. Materialiter vero utrobique inest idem proportionaliter malum. Quia sicut actus intellectus evadit falsus ratione obiecti materialis secus

habentis, ac apparet, ita actus voluntatis evadit materialiter inhonestus, quatenus imperat actum re ipsa falsum. Non igitur subsistit discrimen intentum in obiectione. Sed fallit, quod vulgo solum consideratur, in actu quidem voluntatis, ratio malitiae moralis proxime imputabilis, in actu vero intellectus ratio falsitatis, vnde cumque demum, & qualitercumque ea proveniat.

Ad 4. Actus virtutis accipit speciem totius suae bonitatis ex solo suo motivo formali. At ratio malitiae redundat in actum malum ex obiecto, tum formali, tum etiam materiali, nempe ex omni ratione rectitudinis debita, quae impeditur per eundem actum, ut liquet ex dictis q. 25. de act. hum. art. 5. Actus autem voluntatis, quo constituitur peccatum infidelitatis, impedit se solo, tum actum pie affectionis, tum etiam assensum intellectualem divinae revelationis. Nempe cum utroque est impossibilis immediate per se ipsum. Ac proinde eidem actui secundum se praecise convenit, non solum ratio malitiae contradicentis bonitati virtutis moralis, sed etiam eius malitiae, quae opponitur formaliter bonitati virtuti Theologicae. Ergo idem actus per se ipsum immediate est contrarius virtuti, tum morali, tum etiam Theologicae; tamen actus pie affectionis pertineat ad solam virtutem moralem.

QVÆSTIO XLVI.

Utrum omnia opera infidelium sint peccata?

VIDENTUR esse peccata. 1. Quia omnia opera infidelium reprobantur univ ersaliter in sacris litteris; tum per expressionem peccati, & infectionis, ac iniquationis in illis; tum per totalem bonitatis exclusionem ab eisdem. Quae posterior pars coincidit realiter cum priori, iuxta dicta q. 27. de act. hum. Vbi nimirum ostensum est, repugnare actum indifferentem in individuo, ac proinde actum non bonum, eo ipso esse malum, ac peccaminosum. Testimonia ea in rem praecipua sunt, quae habentur Matth. 7. 18. *Non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala (qualis utique est infidelis) bonos fructus facere.* Ioan. 15. 4. *Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipsis, nisi manserit in vite; sic nec vos, nisi in me manseritis; uti certe non manent infideles.* Distinctius Rom. 14. fine. *Omne autem, quod non est ex fide, peccatum est.* Et ad Titum 1. 15. *Omnia munda mundis; coinquinata autem, & infidelibus nihil est mundum.* Atque de eisdem mox additur: *Et ad omne opus bonum reprobis.* Ergo infidelitas est impossibilis cum omni opere bono, inficitque & coinquinat omne opus.

2. Opus, quod non procedit ex intentione bona non est bonum, & quod procedit ex mala est malum. Intentio autem hominis infidelis nequit esse bona, sed necessaria est mala. Quia infidelis errat circa finem, nempe circa Deum, ideoque intentionem semper, ac necessario refert ad finem indebitum. Sola namque fides manifestare potest finem in quem tendere oportet. Quae duo principia brevis sententia complectitur clare Augustinus in praefatione ad Psal. 67. ad illud: *Veniunt legati ex Aegypto. Ea sola quippe ait, bona opera didenda sunt, quae sunt per dilectionem Dei. Haec autem necesse est, ut antecedat fides; ut inde ista, non ab istis incipiat illa. Quoniam nullus operatur per dilectionem Dei, nisi prius credat in Deum. Haec est fides, &c.* Pergit enim pluribus eandem sententiam stabilire.

3. Omnia opera atheorum sunt peccata, & forent etiam pro alio quouis statu. Ergo, & omnia infidelium opera sunt peccata. Patet consequentia. Quia fides perinde comparatur respectu hominis elevati

in finem supernaturalem, vti de facto est, atque ratio naturalis respectu hominis secundum se: ac proinde infidelitas nocet homini eleuato non minus, aut aliter, quam Atheismus homini secundum se. Patet etiam antecedens. Quia Atheismus aufert penitus omnem rationem veri ultimi finis, qui est Deus. Sublato autem penitus vero ultimo fine, & ordine actuum voluntatis ad eundem vltimum finem, eo ipso aufertur omnis ratio honestatis. Eo namque ipso necesse est, vt ratio vltimi finis collocetur in re creata, & quod inde consequens est, vt voluntas per omnem suum actum fruatur vtendis. In quo porro omnis ratio malitiæ moralis, & peruersitatis sita est, vnicè, ac adæquatè.

4. D. Augustinus sapè, & clarè, & fusè docet, nulla esse bona opera infidelium, immò omnia eorum opera esse peccata, vt apparet ex cap. 10. de Prædest. Sanct. ex lib. 4. contra Iulianum c. 3. & 11. ex lib. 5. de Ciuit. Dei, cap. 4. & ex pluribus aliis locis, quæ latè accumulata, ac expendit Ians. lib. 3. de grat. Saluat. cap. præsertim 11. & 12. Obseruatur, verò potissimum, quod dicit lib. 1. retract. c. 3. *Difficet mihi, quod dixerim, Philosophos sine vera pietate virtutis luce fulsisse.* Et quod 12. de Continentia post med. continentiam sine fine non esse veram continentiam, sed peccatum, probat ex illo Apostoli: *Omne, quod non est ex fide, peccatum est.* Subiicitque immediatè: *Quæ igitur non habet fidem, nec continentia nominanda est.* Opera ergo infidelium omnia sunt inania, omnia peccata.

Art. 1. Respondetur. Huic quæstioni magna ex parte satisfactum iam est q. 7. & 11. de gratia. Vbi duo principia pluribus efficaciter comprobata sunt. Alterum est, nullum opus salutare, id est positiuè conferens ad vitam æternam, aut proximè, aut etiam remotè, fieri posse absque auxilio gratiæ per Christum intrinsecè supernaturali. Alterum est, absque eadem gratia fieri posse aliqua bona opera moralia purè naturalia, nihil quidem conferentia positiuè ad vitam æternam, sed expertia nihilominus omnis malitiæ moralis imputabilis seorsim ratione sui, atque punibilis pœna aliqua speciali, siue spiritali, siue temporalis. Quæ proinde sunt laudabilia non solum coram hominibus, sed etiam coram Deo, nullum tamen præmium infundere possint, aut de congruo, aut de condigno, quod ad vitam æternam iuuare positiuè villo pacto valeat, quantum est ex se.

Art. 2. Ex his duobus principiis consequuntur alia duo illis proportionalia circa necessitatem fidei ad bona opera. Alterum est, absque fide saltem inchoata nullum dari posse opus positiuè salutare. Quia primus aditus ad dona gratiæ est per fidem. Quæ videlicet est *humana salutis initium, fundamentum, & radix omnis iustificationis, sine qua impossibile est placere Deo*, vt dicit ex Apostolo Cor. Trid. sess. 6 cap. 8. Quapropter genus operum, quod sine gratia fieri nequit, ne quidem sine fide fieri potest. Igitur infidelis nullum opus salutare facere potest in sensu composito totalis infidelitatis. Id quod rationes quoque dubitandi efficaciter comprobant.

Art. 3. Alterum principium est, absque fide, & in sensu composito infidelitatis fieri posse aliqua bona opera moralia ordinis naturalis, & quæ vim meritoriam gratiæ, ac visionis Dei nullam habeant, vel etiam mediatam, vel etiam de congruo; atque ideo infidelis non coniici, ratione infidelitatis, in necessitatem semper peccandi de nouo. Quia videlicet infidelitas non extinguit bonum naturæ, nec tollit actiuitatem, & vires homini connaturales, sed solum gratiam, & dona gratuita, vt assumit optimè D. Thomas q. 10. art. 4. Vnde bonitas operum, quæ non excedit vires naturæ, & potest haberi sine gratia, potest etiam haberi in sensu composito infidelitatis. Nempe sicut fidelis potest peccare, tum venialiter, tum etiam lethaliter,

quatenus potest non referre opus suum ad finem sibi propositum per fidem, sistendo, tanquam in fine suo, in rebus creatis, vel in beatitudine concepta confusè, prout proponuntur per rationem purè naturalem. Ita infidelis potest referre opus suum ad Deum, vt auctorem naturalem, prout proponitur per eandem rationem naturalem, atque ita potest honestè operari, quin referat opus suum ad finem sibi propositum per infidelitatem, aut dependenter à quo eadem infidelitas concepta est. Quanquam ipsum peccatum infidelitatis inducit peculiarem aliquam difficultatem vniuersalem aduersus qualibet bona opera, quatenus quolibet peccatum, propter rebellionem aduersus Deum, eiusque contemptum, quem in se continet, inducit facilitatem aliquam ad alia peccata etiam alterius generis, de quo alibi vniuersaliter.

Art. 4. Et quidem ratio proposita est efficax, atque omnino sufficiens aduersus eos, qui putant, omnia infidelium opera esse peccata præcisè, quatenus infidelitas aufert omnem veri vltimi finis cognitionem, atque adeo, & omnem operationum quarumlibet relationem, & explicitam, & implicitam ad verum vltimum finem, qui est Deus. Cæterum eadem ratio, secundum se præcisè, est insufficiens aduersus Michaëlem Baium, Cornelium Iansenium, & vtriusque alios. Quia hi non agnoscunt distinctionem vltimi finis naturalis, & supernaturalis, tum honestam operum referibilitatem ad Deum, vt authorem, & finem solummodo naturalem. Vnde eadem ratione negant in præfenti, opera aliqua infidelium vndequeque honesta, minimèque peccaminosa esse posse, quæ negant alibi, possibile esse statum puræ naturæ, atque hominem existere posse etiam de potentia Dei absoluta, absque gratia simul, & absque peccato; id est, absque fide, & visione Dei immediata simul, & absque peccato. Quapropter ratio, quæ vti sumus ex D. Thoma, apud istos non subsistit per se præcisè. Negant enim eius suppositum de possibilitate dilectionis Dei propter se, & honestæ relationis operum ad eundem, dependenter à sola ratione naturali, idque pro quouis statu.

Art. 5. Verum eà doctrina de repugnantia status puræ naturæ reiecta à nobis est cum suis fundamentis, & consequentiis, ex vnanimi omnium Theologorum consensu, partim q. 10. de gratia, & parte altera, quæ præcipua, ac fundamentali q. 10. de Deo. Quare nihil necesse modo est supradde vltius pro stabilienda illa fundamenti nostri suppositione. Refelluntur nihilominus præterea vniuersaliter opiniones qualescunque de necessitate infidelium, vt peccent in omni opere suo. Quia inter propositiones reprobatas à Pio V. & Greg. XIII. vigesima sexta continet, *omnia opera infidelium esse peccata, & Philosophorum virtutes esse vicia.* Accedit Ægyptias Hebræorum obstetrices, cum essent infideles, accepisse nihilominus præmium temporale à Deo, quia ob eius timorem noluerunt, iuxta Regis mandatum, interficere masculos Hebræorum, sed eos seruauerunt, incutiente præcordiis femineis horrorem tanti facinoris, & numinis iram minitante ratione ipsa naturali. Historia habetur Exodi 1. c. cuius clausula est talis vers. 20. & 21. *Bene ergo fecit Deus obstetricibus, &c. Et quia timuerunt obstetrices Deum, adificauit eis domos.* Igitur opus infidelis tale esse potest, vt nullo ex capite displiceat Deo, eiusque terminet complacentiam remuneratiuam. Idem suadet ex eo, quod Apostolus ad Rom. 1. 20. gentiles dicit inexcusabiles; *Quia cum cognouissent Deum* (nempe naturaliter ex creaturis, de quo immediatè sermo præcedit) *non sicut Deum glorificauerunt.* Facturi vtique bene, atque excusabiles futuri, si glorificassent, vt aperte supponitur, eos facere potuisse. Igitur infidelitas non reddit penitus impossibilem omnem bonam operationem naturalem.

Art. 6.

Art. 6. Plura in hanc sententiam, Sanctorum PP. clara suffragia habentur apud Tanner. q. 8. dub. 4. alióque in præfenti. Sunt verò clarissima, quæ producuntur ex Aug. & expensæ à nobis fuere q. illa 10. de gratia. Placet mihi specialiter comparatio bonorum operum pessimi cuiusque hominis, adeoque & infidelis, cum peccatis venialibus hominis utcumque iusti, quæ utuntur D. Aug. c. 28. de Spit. & litt. verbis à me relatis loco indicato, & D. Chrysost. qui hom. 67. ad populum Antiochenum sic habet: *Non potest malus (qualiscumque nimirum sit, etiam infidelis) omnino malus esse, sed evenit, ut aliquid habeat boni, neque bonus esse bonus omnino, sed & nonnulla solet habere peccata.* Nempe sicut fragilitas humana vi prorsus ineluctabili implicat sæpe peccatis nonnullis venialibus quantumlibet iustum; ita lumen vultus Domini naturaliter inditum homini, atque inextinguibilis boni, & æqui ratio assidue sollicitans animum, extorquet frequenter à quovis pessimo etiam infideli leuia nonnulla, & facilia opera bona naturalia, nullius permixtione mali, aut intentionis nequam vitia.

Art. 7. Itaque, ut compendio absolvam, licet verum sit, infidelem nihil in primis salutariter velle, aut agere posse, dum nec fidem habet, nec incipit habere: deinde quidquid agit, quia infidelis est, esse peccatum, non solum denominatiue, ac remote, aut pure materialiter, sed etiam formaliter, & immediate, cum speciali imputabilitate malitiæ, & cum speciali vi demeritoria cuiusque operis: ac demum omnia eiusdem opera utcumque alioquin bona esse peccata saltem materialiter, quatenus omnes de facto tenentur per se ordinare, quidquid agunt, ad finem supernaturalem vitæ æternæ, vnicè sibi propositum de facto, atque hæc ordinatio est impossibilis cum infidelitate. Licet, inquam, hæc vera, certaque sint apud omnes reipso, nihilominus idem, qui est infidelis, potest, in sensu composito infidelitatis etiam totalis, efficere nonnulla bona opera naturalia, quibus nulla in se intrinsecè insit malitia formalis, nullaque vis demeritoria, seu dignitas pænæ ratione sui, sed quæ laudabilia potius sunt, atque recto rationis naturalis dictamini omnino conformia, ut liquet ex dictis.

Art. 1. Ad 1. Ex illa in primis parabola, de arbore bona, & mala, inferri nihil potest pro scopo obiectionis. Quia perinde sunt impossibiles fructus mali ex arbore bona, atque boni ex mala. Cogitat autem, hominem non solum fidelem utcumque, sed etiam iustum, frequenter peccare. Quidni igitur frequenter itidem contingat, peccatorem, ac infidelem abstinere laudabiliter à peccando. Rursus sicut infidelitas, & intentio illi conformis, atque homo quatenus infidelis, & infideliter intendens est arbor mala, ita natura hominis, & cognitio Dei necessariò ad illam consequens, atque intentio propriæ felicitatis, summique sui boni, manens simul cum infidelitate, est arbor eatenus bona, & implantata manu Dei. Ergo hinc non minus oportet, ut germinet aliqua bona opera, quam, ut inde germinet mala. Hinc præterea, si ratio arboris accommodetur qualitati, siue intellectuali, siue affectivæ in abstracto, cum homini infideli, præter infidelitatem, & intentionem illi conformem, insint alia qualitates operativæ bonæ, ut dictum est; consequens erit, ut adsint eidem opera aliqua, & bona, & mala. Si verò eadem ratio arboris accommodetur ipsiæ qualitatibus in concreto, seu homini quatenus illis affecto, cum homo sit liberi arbitrij flexibilis in utramque partem dum est in via, poterit utique utrolibet genere qualitatibus uti pro libito, atque adeò edere, iam bonos, iam malos fructus.

Art. 2. Deinde sensus legitimus, & planus eius parabole est, ut liquet ex toto contextu, internam, & existimationem, & intentionem circa Deum, ac divinam infallibiliter infallibilitate morali, tandem aliquando

promittere exterius fructus bonorum, aut malorum operum, prout ea fuerit bona, vel mala; & quidem non qualescunque, sed qui iuste corresponsdeant qualitati particulari eius, & existimationis, & intentionis, eademque proinde manifestent aperte. Nempe supponitur ibi, internam quamlibet animi dispositionem quoad ea, relatè ad quæ homo est bonus, vel malus, & dicitur arbor bona, vel mala, erumpere infallibiliter sero, vel cito in opus aliquod exterius, sibi iuste correspondens, iuxta illud particulariter notatum de verbis, in eundem scopum, Matt. 12. 34. *Ex abundantia enim cordis os loquitur.* Superadditur verò expressè ibidem, nec bonam animi dispositionem aliquid mali, nec malam aliquid boni, exterius inducere, sed è conuerso iuxta illud ex eodem 12. c. Matt. *Bonus homo de bono thesauro profert bona, & malus homo de malo thesauro profert mala.* Ac demum, quod sensum propositum manifestat clarè, concluditur sub eodem contextu parabole: *Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos:* nempe ex operibus patentibus ad sensum. In ea itaque parabola comprehenduntur sola opera exteriora, & bona, & mala. Quid tum? Nonne infideles faciunt plura opera exteriora secundum se bona, & quæ cum infidelitate nihil habeant commune? Nihil igitur inde habetur ad propositum obicientis. Iuuerit, pro cauta huius parabole applicatione videre apud Maldogatum & alios ibi, quot ex ea arbore bona, & mala, & quanti, quamque absurdi pululauerint errores.

Art. 3. Altera similitudo de vite, palmitis, & fructu, refertur vnicè ad sola opera salutaria, & meritoria vitæ æternæ, utpotè conciliatiua dilectionis diuinæ, & & inducentia mansionem Dei in anima, de qua immediate sequitur sermo. Vnde, per mansionem palmitis in vite, non intelligitur vnicè cum Christo per solam fidem, sed etiam per charitatem, de cuius iidem exhibitione sequens ibi contextus loquitur clarè. Neutro igitur ex capite habetur quidquam ad propositum ex eo loco. Iam sententia Pauli dicentis peccatum, omne, quod non est ex fide, non accipitur de fide strictè sumpta, sed pro ultimo dictamine conscientie vndeunque illud proveniat, ut liquet ex dictis q. 24. de act. hum. art. 1. Si verò accipiat de fide strictè tali, ut accipit aliquando Aug. simul accipiat oportet de eo, quod ita non procedit ex fide, ut etiam contradicat fidei, atque ex infidelitate procedat. Quo pacto accipi solet, cum dicitur. Hoc non est iuxta legem, iuxta regulam. Hoc non est à charitate, ex vera pietate. Denique in epi. ad Tit. Apostolus agit contra eos, qui discernant adhuc inter cibos mundos, & reprobat eorum opinionem ex hoc inter alia, quod cum aliquos cibos absque fundamento sufficienti dicerent, adeoque practicè sibi facerent immundos, possent & alios quovis existimare, & facere similes immundos pro libito. Reprobat etiam, quia inde fiebant incredibiles, seu pertinaciter increduli, ideòque reprobi, ac inepti ad omne opus salutare. Quorum neutrum tollit, quo minus iidem possent nihilominus, ex dictamine rationis naturalis, aliqua bona opera naturalia perficere, sicut è conuerso sectatores veræ doctrinæ, & non distinguentes inter cibos, & respectu quorum omnia dicuntur munda, poterant nihilominus aliunde peccare. Quæ paritas est valde efficax ad propositum. Videatur inter alios D. Thomas in eum locum.

Ad 2. Intentionem hominis minime peccaminosam formaliter, non sola potest dirigere fides, sed etiam ratio naturalis, cuius veritas, circa Deum, ut authorem naturalem, existimationem non tollit infidelitas, sicut tollit legitimum de Deo, ut auctore supernaturali conceptum. Verum quia sola fides potest dirigere, ac dirigere intentionem circa Deum, & ad Deum, ut authorem supernaturalem, atque ex hac sola intentione procedere possunt opera, salutaria, ac meritoria vitæ.

vita aeternae, eademque sola absolute, & simpliciter dicuntur bona pro statu praesenti eleuationis; propterea sunt verissima sententia illa Augustini. Nihil tamen nocent doctrinae a nobis traditae de operibus bonis, propter limitationem illam, ordinis naturalis, minimeque salutaribus.

Art. 1. Ad 3. Nulla in primis est paritas. Quia, deprauata per atheismum ratione naturali circa ultimum finem, nullum superest lumen intellectuale, quod dirigat voluntatem in inducenda ordinatione mediorum ad eundem ultimum finem. In qua porro ordinatione consistit tota ratio honestatis. At, sublata fide per infidelitatem, superesse adhuc potest cum agnata sibi rectitudine ratio naturalis circa Deum, ut ultimum finem naturalem; ac proinde subsequi adhuc potest honesta mediorum ad illum ordinatio. Non igitur tantumdem nocet absolute, & quoad omnia, etiam de facto, infidelitas, atque atheismus; quandoquidem atheismus auferit fidem simul, & rectitudinem rationis naturalis; infidelitas vero solum fidem. Transmisso itaque antecedenti negatur consequentia.

Art. 2. Negari deinde potest antecedens. Non quidem ex eo, quod subsistere possit ratio aliqua honestatis, & bonitatis moralis sublata totaliter actuali ordinatione affectiva mediorum ad ultimum finem, Deum Optimum Maximum, ut indicant Suarez, & nonnulli alij in praesenti, quorum ea doctrina reiecta a me est q. 20. de act. hum. praesertim ad 7. Sed quia impossibile est, ut quisquam omnino, subque omni conceptu, neget existentiam Dei, prout apparet ex dictis q. 1. & 2. de Deo. Et rursus quia est impossibile, ut quisquam peccet peccato simpliciter, & proprie tali, quin actualiter cogitet de Deo, sub aliquo proprio ipsius conceptu, ut apparet ex eadem illa quaest. 20. & 21. de act. hum. Nemo igitur est, aut esse potest usque adeo atheus, quin possit bene moraliter operari pro priori natura ad ipsum peccatum atheismi, vel ad quoduis aliud peccatum.

Art. 1. Ad 4. Dubitari minime potest, quin Augustinus saepe dixerit, atque clarissime, nulla opera infidelium esse bona, sed omnia esse peccata. Neque hoc erat, tot expensis, & descriptione usque adeo effusa probandum a Cornelio Iansenio Iprensi, quod Suarez, Valentia, & alij Theologi, quorum se debellatorem ille facit circa hoc punctum, concesserant iam sponte Lutheri, & Caluini, eiusdem cum Iansenio conatus quoad istam controuersiam. Sed ad demonstrandum insuper erat, ut aliquid concluderetur aduersus sententiam D. Thomae, aliorumque communiter Theologorum, D. Augustinum non agnouisse distinctionem eiusdem D. Thomae, & aliorum superius propositam, inter opera bona salutaria, & non salutaria, seu conferentia, & non conferentia ad consequentiam vitae aeternae, quae consistit in visione Dei immediata; atque in vniuersalibus illis axiomatis suis, nomine bonorum operum, non sola comprehendere voluisse opera salutaria; & similiter, nomine peccatorum, non esse complexum opera indiscriminatim omnia, quae non perducerent ad regnum caelorum, siue alioquin essent irreprehensibilia, ac impunibilia, siue non essent. Haec autem demonstrari usque adeo non possunt, ut opposita omnia demonstrantur quam clarissime, uti apparet ex testimoniis Augustini, quae selegi, & produxi quaest. 7. de gratia ad 2. & quaest. 11. ad 7. in fine. Videatur uterque locus, ne eadem hic repetantur superuacane.

Art. 2. Ex ibi dictis deprehenditur, non displicuisse Augustino agnitionem quorumcumque in Philosophis actuum minime reprehensibilium, ac punibiliu nec non pietatis alicuius secundum quid talis, sed solum confessionem fulgoris ex luce veritatis, ac pietatis simpliciter talis; id est qualem agnoscebant in

illis Pelagiani dicentes, virtutes fidelium, & infidelium esse eiusdem prorsus rationis, utpote habitas ex eadem sola sufficientia natura absque gratia per Christum. Hic nimirum est scopus, quem vnicuique respicit vbiq. Augustinus in eiusmodi loquutionibus. Vnde continentia infidelium negatur similiter esse virtus, & dicitur esse peccatum, non quod necesse omnino sit, eam ex prauo fine vitari, sed quia non disponit subiectum ad optimum simpliciter, seu ad consequentiam summi per visionem immediatam ipsius, ad quam de facto tenentur tendere mortales, ideoque peccant, vel formaliter, vel saltem materialiter, dum suam intentionem restringunt actualiter, & habitualiter ad solum finem ultimum pure naturalem, supra quem sola eleuat, ac manuducit fides, credens Deo super omnia, solaque gratia per Christum quatenus inducit fidem, aut cooperatur eidem. Adde, Augustinum eodem modo negare saepe cognitionem Dei absque gratia Dei, ut conici potest, praetermissis alijs, ex lib. 10. Confess. cap. 6. sub initium, ubi sic habet: *Altius autem tu misereberis, cui misertus eris, & misericordiam praestabis, cui misericors eris. Alioquin caelum, & terra sordis loquuntur laudes tuas.* Et tamen omnes concedunt cognitionem existentiae Dei expertem omnis falsitatis esse possibilem absque fide, & absque gratia per Christum proprie tali. Quidni igitur idem proportionaliter dicatur de actibus voluntatis expertibus omnis malitiae, licet sint ordinis pure naturalis, & elicit absque fide, & absque gratia?

QVÆSTIO XLVII.

Vtrum dentur plures infidelitatis species?

VIDENTUR non dari. 1. Quia vnius formae vna tantum est priuatio. Fidei autem, cuius quae comparatur infidelitas, tanquam priuatio eius, non dantur plures species. Quod est in confesso apud omnes. Ergo neque infidelitatis dantur plures species.

2. Quilibet infidelis recedit totaliter a tota ratione formali obiectiva fidei. Nec enim fieri potest, ut qui non credit Deo quoad aliquem articulum, simul credat eidem quoad aliquem alium articulum, ut dictum est supra quaest. 7. Ergo differentia inter infideles, & infidelitates solum esse potest quoad obiecta materialia, quatenus vnus infidelis dissentit quibusdam a Deo reuelatis, alius vero quibusdam alijs. Diuersitas autem quoad sola obiecta materialia non diuersificat speciem actuum.

3. Vnicuique virtuti morali opponuntur duae tantum species vitiorum, quorum alterum peccat per excessum, & alterum per defectum. Quae de causa dicitur 2. Ethic. a cap. 6. virtutem consistere in medio inter excessum, & defectum. Contra virtutem autem Theologicam est impossibile peccare per excessum. Impossibile siquidem est, ut quis nimis adherat Deo sub vlla ratione. Ergo aduersus fidem solum peccari potest per defectum. Vna igitur sola species vitij opponitur fidei, eaque est infidelitas.

4. Diuersitas specifica errorum contrariorum veritati fidei non diuersificat specie infidelitatem. Quia errores contra fidem specie diuersi sunt innumerabiles, ac infiniti, ut innuit August. 1. de Haeresibus prope finem. Infidelitatis autem species non sunt vsq. adeo multiplices. Imo quicumque errant contra fidem, utcumque sint diuersa ea, circa quae errant, vniuniformiter dicuntur infideles. Sublata autem diuersitate specifica infidelitatum ex hoc capite, nihil superest, unde suboriri possit diuersitas illarum specifica.

5. Infide